



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. VIII. Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sponsalia; Et quinam  
metus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

Neque dicas cum Palud., quod requiratur & fama, & personæ gravis testimonium ad dirimenda Sponsalia jurata, ex cap. Cum in tua de Sponsalibus; ergo sola fama non sufficit: Nam in eo textu persona gravis non requiritur, ut deponat impedimentum, sed ut denunciaret famam; unde sola fama sufficit.

VI. Certum est ultimo, solum rumorem de impedimento non sufficere ad sponsalia dirimenda, ut communiter docent contra Antoninum, & Præposit. Ratio est, quia ex uno capite nullus habetur textus canonici ad impediendum matrimonium; & ex alio capite regula generalis est, quod possint omnes contrahere, qui non reperiuntur prohibiti, ex cap. Cum apud sedem de Sponsal., & matrimon. ubi Glossa ait: *Id, quod non prohibetur, concessum videtur.*

## ARTICULUS VIII.

Quænam ignorantia, & dolo dissolvant Sponsalia; Et quænam metus?

- I. *Causa, quæ sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, si superveniant, satis sunt ad ea dissolvenda, si præcesserint, & invincibiliter fuerint ignorata.*
- II. *Aliiter discurrendum de dolo dante causam contractui, ac de incidente in contractum. Aliiter etiam si ab altero ex contrahentibus adhibeatur, ac si a tertia persona.*
- III. *Sponsalium contractus per dolum celebratus probabiliter non est irritus, sed solum irritandus ad arbitrium decepti; ut proinde pariat impedimentum publicæ honestatis.*
- IV. *Ideo votum ex errore emissum est irritum, quia est promissio gratuita; at sponsalia ferunt promissio-*

*nem onerosam; & ideo non sunt irrita, sed irritanda, si per dolum celebrentur.*

- V. *Qui per dolum contraxit eo animo, ut licet dolum cognovisset, adhuc ea sponsalia contraxisset, nequit resiliere.*
- VI. *Num contrahentes sponsalia reneantur occulta vitia aperire, quibus deprehensis, Sponsalia non celebrantur?*
- VII. *Defectus, qui notabiliter nocent vita sociali conjugum, aperiendi sunt a sponsis; alii vero non sunt aperiendi, nisi de iis interrogentur contrahentes sponsalia. Nec licitum est positive dicto, vel facto simulare oppositum.*
- VIII. *Metus levis non irritat sponsalia; sicut nec metus gravis iuste incussus; nec metus iniuste incussus, sed non ad extorquenda sponsalia.*
- IX. *Probabiliter sunt solum irritanda ad arbitrium metum passi, non vero irrita sponsalia celebrata per metum iniuste incussum ad ea extorquenda.*
- X. *Hinc, si sint jurata, datur obligatio contrahendi matrimonium ratione juramenti; nisi obtineatur dispensatio.*

I. **Q**uod attinet ad ignorantiam, seu errorem, certum est apud Doctores, illas causas, quæ factis sunt ad dissolvenda sponsalia, si superveniant, (ut est lepra, paralysis, &c.) satis etiam esse, si præcedant, & invincibiliter ignorentur. Ratio est, tum quia sponsi non censentur voluisse se obligare ad matrimonium, cognita tali causa, ut supra diximus; tum etiam quia sponsalia dissolvi possunt, si superveniat notabilis mutatio: ergo etiam dissolvi possunt, si notabilis mutatio per errorem, aut ignorantiam prius non fuit cognita, & deinde cognoscatur; etenim  
in



in Jure esse, & de novo apparere, Non esse, & Non apparere paria sunt, *leg. 77. de Contrahenda Emptione*; tum demum quia sicut vitium occultatum satis est ad dissolvendam venditionem, & quemlibet alium contractum dissolubilem, ita etiam contractum sponsalium.

II. Porro circa dolum notandum est, aliquando dolum dare causam contractui, aliquando incidere in contractum. Dat dolum causam contractui, quando, si præcognitus fuisset, impediisset contractum. Incidit vero in contractum, quando, si cognitus fuisset, non impediisset illum, quamvis non eodem pretio, conditione, &c. contractus factus esset. Notandum etiam, dolum aliquando adhiberi ab altero contrahente, aliquando vero a tertia persona. His explicatis

III. Quæritur primo, Utrum contractus sponsalium ipso jure irritus sit, ita ut non pariat impedimentum publicæ honestatis, an vero sit solum irritandus, quando præcessit error, seu ignorantia eorum, quæ satis sunt ad dissolvenda sponsalia? Præsertim si dolum dedit causam contractui; verbi gratia, si Berta corrupta, aut pauperula, aut laborans lepra simulavit se virginem, aut divitem, seu sanam.

Respondeo, *Sanch. lib. 1. disp. 64.*, & alios apud *Bonac. punct. 9.* docere, quod si dolum dederit causam contractui, & adhibitus sit ab altero contrahente fraudulenter, contractus sponsalium ipso jure sit irritus. Ratio est, quia quilibet contractus bonæ fidei celebratus per dolum dantem ipsi causam, & adhibitus ab altero contrahente est irritus ipso jure, *ex leg. Et eleganter 7. ff. de dolo*

Sed communius Doctores docent cum *Con. dub. 9.*, & *Perez*, contractum sponsalium celebratum per do-

lum sive dantem causam contractui, sive incidentem in contractum, neque esse irritum jure naturæ, neque jure civili; Non jure naturæ; quia quando error non versatur circa substantiam, (hoc est circa personam in contractu sponsalium) sed circa circumstantias contractus, jure naturæ contractus est validus; ut patet in contractu matrimoniali. Neque jure civili talis contractus est irritus; ut fuisse probat *Less. de Justitia cap. 17. dub. 1.* Quare solum pro arbitrio ejus, qui deceptus est, irritari potest duplici titulo, & ratione injuriæ ortæ ex dolo, & ratione defectus consensus orti ex ignorantia: Nec ad irritandum talem contractum requiritur sententia Judicis, si res sit clara; secus vero si sit dubia.

IV. Neque dicas: Votum ex errore emissum nullum est; Verbi gratia, si quis voveat peregrinationem Lauretanam, existimans Lauretum esse propinquum: ergo etiam sponsalia ex errore contracta erunt nulla.

Nam, concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia votum est promissio gratuita, que vitiat error illo: At sponsalia sunt contractus onerosus; unde satis est, quod possint irritari.

Ex dictis sequitur, quod decipiens in sententia nostra cogi possit a decepto ad matrimonium; Quod tamen in sententia opposita *Sanch. docentis* contractum sponsalium in eo casu esse irritum, non sequitur.

V. Quæritur secundo, An qui celebravit sponsalia per dolum incidentem in contractum, si ita erat affectus erga Bertam, ut etiam si dolum cognovisset, sponsalia contraxisset, possit deinde, cognito dolo, resilire? Verbi gratia, si Titius contraxit cum Berta deflorata, quam putabat virginem, eo animo, ut etiam si id sciret, cum ea contraheret, potest ne resilire, quan-



quando eam deprehendit defloratam?

Respondeo cum Bonac., Sanch. disp. 65., & aliis negative. Ratio est, quia tale vitium non censetur esse contra voluntatem promittentis, cum absolute promiserit, & adhuc promississet, tali vitio cognito. Si tamen dubitet, an, eo vitio cognito, promississet, tunc inspicienda est gravitas vitii; Cum enim homines nolint promittere, interveniente notabili mutatione, & cognito gravi vitio, (verbi gratia, si deprehendatur pauper, aut deflorata, quæ putabatur dives, & virgo) ideo prosumendum est ex communiter contingentibus, quod Titius, cognito tali vitio, non promississet.

VI. Quæritur tertio, An habens vitium occultum possit licite contrahere Sponsalia cum eo, quem certo scit nullo modo contracturum, si vitium illud aperiretur?

Respondeo, quæstionem hanc pendere ab illa, An venditor teneatur emptori aperire occulta vitia rei vendendæ? Circa quam docet primo Less. cap. 21. dub. 11., quod quando emptor interrogat venditorem de aliquo vitio rei vendendæ, teneatur venditor ex iustitia aperire illa vitia, quæ sunt contraria usui, propter quem res emitur. Docet secundo, idem dicendum, si emptor non interroget, sed solum significet rem illam ad aliquem certum usum petere, quia simpliciter petit vendi sibi rem tali usui accommodatam; verbi gratia, equum ad itinerandum. Docet tertio, quod quando venditor celat vitia, quæ non reddunt rem notabiliter minus utilem usui, propter quem expetitur, non peccet contra iustitiam ea celando; quia nimis durum esset obligare homines, ut tam minuta vitia aperiant. Docet quarto, quod quando emptor fidens proprio iudicio deligit sibi rem emendam, venditor non ex iustitia,

*Pars VII.*

sed solum ex charitate teneatur aperire vitia rei, quæ reddunt illam notabiliter minus utilem ad usum, ad quem expetitur: Quod si ad talem usum vitia illa sint noxia, tenetur ea ex iustitia aperire.

Notandum præterea, defectus dantes justam causam resiliendi a Sponsalibus esse duplicis generis. Aliqui enim reddunt nuptias notabiliter minus expetibiles, non tamen noxias alteri parti, ut si mulier sit corrupta, pauper, ignobilis, deformis, moribus improbis, &c. Alii vero defectus reddunt nuptias alteri parti noxias, & perniciosas, ut si quis laboret morbo gallico, lepra, &c. His annotatis

VII. Dico primo cum Con., Perez, Sanch. lib. 6. disp. 27. Non tenetur pars aperire defectus primi generis alteri parti volenti secum Sponsalia contrahere. Ratio est, quia nemo tenetur se infamare, & suos defectus proclamare, quamdiu non nocent aliis; isti autem defectus non nocent ad vitam sociale, & ad generationem, & honestam educationem proles, ad quem usum expetitur matrimonium: ergo non sunt aperiendi, nisi de iis pars interrogetur. Quare si alter decipiatur, sibi imputet, quod fidens suo iudicio non melius de re tota exquisierit.

Dico secundo: Patiens huiusmodi defectus primi generis non potest alterum vana spe ad nuptias suas allicere, simulando positive contrarium vel dicto, vel facto. Ratio est, quia esset fraus manifesta; ut si quis fingeret se divitem, nobilem, &c. Dixi, simulando positive; nam licitum est defectus istos tegere ad bonam famam conservandam: Immo si femina petatur, num ab ullo fuerit cognita, potest huiusmodi defectum dissimulare, alia respondendo, cum non teneatur famam suam prodigere.

Dico tertio: Patiens defectum se-

G

cun-



cundi generis non potest cum illius ignaro contrahere Sponsalia, nec potest urgere, ut contractum impleat, nisi iste similes defectus pateretur. Ratio est, quia gravem injuriam illi, & damnum irrogaret.

VIII. Quæritur quarto: Utrum metus cadens in constantem virum injuste incussus ad extorquenda Sponsalia reddat ea irrita, ita ut non pariant impedimentum publicæ honestatis; an solum irritanda?

Respondeo, prænotando, Metum alium dici gravem, & probabilem, seu cadentem in constantem virum; ut est timor mortis, gravis percussio, infamiae, carceris longevi, amissionis status, aut copiae ingentis divitiarum, & similia: Immo satis est, ut hujusmodi mala immineant personis valde conjunctis, videlicet consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum, ut notat Perez: Alium vero dici metum levem, improbabilem, seu cadentem in virum inconstantem, qui scilicet non movet virum constantem ad faciendum id, propter quod incutitur. Hoc posito

Certum est primo, Metum levem, quomodocumque incutiat, non irritare Sponsalia; Sicut non irritat matrimonium, aut Votum. Ratio est, quia in jure metus levis non habetur ratio. Docet tamen probabiliter Sanch., posse propria auctoritate irritare Sponsalia eum, qui injuste passus est metum levem a comparte: Nam cum hæc teneatur relaxare fidem tali metu extortam, poterit ipsemet vim patiens in conscientia resumere fidem a se datam; idque etiam si Sponsalia fuerint jurata; dummodo juramenti relaxationem obtineat.

Certum est secundo, Metum gravem juste incussum non reddere Sponsalia nulla; Verbi gratia, si Judex Siccario dicat; Nisi despondeas Bertam, ad suspendium, vel ad triremes te

condemnabo propter assassinium commissum: Immo metum hujusmodi nec invalidare matrimonium, docent Doctores cum Sanch. lib. 4. disp. 12. quia talis metus incutitur potius a proprio delicto, & solum a Judice traditur modus evadendi poenam, si scilicet matrimonium celebret. Est tamen opinio isthæc contra Bonac. quæst. 3. punct. 8., qui docet, matrimonium hujusmodi esse irritum; quia contractus matrimonialis propter ejus insolubilitatem, & propter reverentiam Sacramenti requirit perfectam libertatem, quæ a tali metu videtur impediri.

Certum est tertio, Metum gravem injuste incussum, non tamen ad extorquenda Sponsalia, sed ad alium finem, non irritare Sponsalia; Sicut nec si a causa extrinseca non libera incutiat; Ut si quis ex metu naufragii, aut inimicitiarum Sponsalia contrahat. Ratio est, quia Sponsalia in tali eventu a propria voluntate eliguntur, nec injuriam ullam continent: Et idem dicitur de contractu matrimoniali: Quare validum est tum jure naturali, tum positivo matrimonium, quod celebraret cum filia Judicis is, qui videt se a Judice injuste damnandum, nisi nubat; dummodo tamen non sit damnandus injuste, ut extorqueatur matrimonium, sed solum appareat aperi viam ad declinandam injuriam per matrimonium. Ita Perez, & Sanch. loc. citat.

Certum est quarto, Metum gravem injuste incussum ad extorquendum matrimonium reddere illud nullum, sive jure naturali, ut censent Mezat., Molin., Rebell., sive saltem solo jure Ecclesiastico, ut Sanch., Con., Hurt. apud Perez disp. 17. sect. 11.

IX. Difficultas solum remanet; Num metus gravis injuste incussus ad extorquenda Sponsalia reddat etiam irritum, an solum irritandum contractum



atum Sponsalium? Sanch. docet, esse ipso jure irritum, ex cap. *Ex litteris de desponsat. impuberum*; ac proinde docet, quod, si hujusmodi meticolosa Sponsalia sint juramento firmata, non indigeant relaxatione juramenti ad ea non servanda; quia quando jus resistit contractui, estque contractus contra bonos mores, Juramentum confirmans talem contractum non obligat, ex Regula 58. de Regulis juris in 6.: *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.*

Equidem cenleo contra Sanch. cum Hurt., Con., Henr., Sponsalia hujusmodi nullo jure esse irrita; posse tamen personam coactam ad promittendum ab iis resilire propria auctoritate. Probatur, quia neque sunt irrita jure Ecclesiastico, nam in *Cap. ex litteris* citato a Sanch. sermo est de puella, quae omnino invita contraxerat; Neque sunt irrita jure naturali: Nam ad valorem cujuscumque contractus ex justitia obligantis jure naturali duo requiruntur, & Voluntarium, & Titulus; in casu autem nostro habetur Voluntarium, quamvis admixtum involuntario, ut patet in eo, qui ad vitandam mortem, quam Tyrannus minatur, nisi adulteretur, committit adulterium; hic enim vere peccat, eo quod talis metus non tollat libertatem: Praeterea in casu nostro habetur Titulus; quia datur jus ad corpus unius pro jure ad corpus alterius; cum enim uterque habeat dominium in suum corpus, potest uterque promittere illud in matrimonium pro repromissione alterius.

X. Ex dictis sequitur contra Sanc., quod qui ex metu gravi injuste incusso ad extorquenda sponsalia promittit matrimonium cum juramento, obligatur ad matrimonium ratione juramenti; non secus ac qui promittit cum juramento solvere pecuniam latroni ad vitandam mortem, tenetur

ratione juramenti. Et ratio est, quia juramentum obligat, quando licite impleri potest, ex *Cap. Debitores*, & ex *Cap. ult. de Jurejurando*: Propter ea indiget relaxatione juramenti, si velit Sponsalia isthaec meticolosa dissolvere.

### ARTICULUS IX.

Quanam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolutionem Sponsalium?

- I. Pro foro interno sufficit solida probabilitas, quod detur causa sufficiens ad Sponsalia dissolvenda.
- II. At pro foro externo requiritur, vel unus testis fide dignus juratus, vel fama de impedimento dirimente, ut ratione talis impedimenti Sponsalia dissolvantur. Si vero causa, qua allegatur ad resiliendum, non sit impedimentum dirimens, sed, verbi gratia, fornicatio Sponsae, requiruntur duo testes.
- III. Ad servanda Sponsalia cogere potest Judex Ecclesiasticus; Necnon etiam Judex Secularis: dummodo ex injuria nuptiis gravia scandala non oriantur.
- IV. Solus Pontifex potest ex gravi causa in Sponsalibus dispensare.

I. **Q**Uæritur primo; Qualis probatio sufficiat tam pro foro interno, quam pro externo ad dissolutionem Sponsalium?

Respondeo cum Con. dub. 11., & aliis communiter, pro foro interno quamlibet probationem moraliter certam sufficere; quia in moralibus ad operandum exigi nequit major certitudo. Notat autem Sanch. lib. 1. disp. 69. ad certitudinem hanc moralem habendam non requiri, ut nulla sit opinio contraria, sed satis esse, ut juxta opinionem vere probabilem detur causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia;